1078. Gregorius episcopus servus servorum dei dilecto in Christo filio Christoforo abbati monasterii sancti Petri constructi in civitate Cremona suisque successoribus
ibidem regulariter promovendis in perpetuum. Superne miserationis respectu ad hoc universalis ecclesie curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitu-
dinem gerimus, ut iustis precantium votis attenta benignitate faveamus et libramine equitatis omnibus in necessitate positis quantum deo donante
possumus subvenire debeamus. Precipue tamen de venerabilium locorum stabilitate pro debito honore summe et apostolice sedis cuius membra sunt quantum
ex divino adiutorio possibilitas datur nobis pensandum et laborandum esse perpendimus. Proinde iuxta petitionem omnia prefato monasterio cui tu preesse
dinosceris et quod romane ecclesie annualem censum duodecim denariorum mediolanensis monete persolvit huiusmodi privilegia presenti auctoritatis
nostre decreto indulgemus concedimus atque firmamus. Statuentes nullum regum vel imperatorum antistitum nullum quacumque dignitate preditum vel quemquam
alium audere de his que eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio iure iam donata sunt vel in futurum deo miserante collata fuerint sub
cuiuslibet cause occasionisve specie minuere vel auferre et sive suis usibus applicare vel aliis quasi piis de causis pro sue avaricie excusa-
tione concedere. Sed cuncta que ibi oblata sunt vel offerri contigerit tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint perenni tempore illibata
et sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt modis omnibus profutura. Preterea sicut supra dixi-
mus quecumque nunc iuste habet aut in posterum deo annuente habere contigerit in quibuslibet rebus mobilibus vel immobilibus. Item constituimus ut obeunte
abbate non alius ibi quacumque obreptionis astucia ordinetur nisi quem fratres eiusdem cenobii cum communi consensu secundum timorem dei elegerint ordinandumque
providerint, maxime de eadem congregatione si idoneus inventus fuerit. Quod si talis qui huic regimini inter eos inveniri non possit, cum consilio religiosorum utrorum aliun-
de sibi patrem et magistrum expetant. Hoc quoque presenti capitulo subiungimus ut – ipsum monasterium et abbates eius vel monachi ab omni secularis servicii sint
infestatione securi omnique gravamine mundane oppressionis remoti in sancte religionis observatione seduli atque quieti nulli alii nisi romane et apostolice sedi cuius
iuris est aliqua teneantur occasione subiecti. Consecrationes etiam ecclesiarum et ordinationes monachorum sive clericorum sepefato in cenobio pertinentium ab episcopo
in cuius diocesi sunt accipiat. Ita tamen si episcopus canonice ordinatus fuerit et ordinationem gratis facere voluerit. Sin autem aliquid horum obstiterit abbas cum licentia et
auctoritate romani pontificis ad qualemcumque catholicum episcopum eis placuerit causa consecrationis et ordinationis tam locorum quam personarum licenter pergat. De cetero
nullam amplius episcopus in predicto monasterio potestatem habeat neque excommunicandi aut interdicendi aut ad sinodum vocandi. Hec igitur omnia que huius precepti
decretique nostri pagina continet in perpetuum servanda decernimus. Si quis igitur regum imperatorum sacerdotum clericorum iudicum ac secularium personarum hanc constitutionis
nostre paginam agnoscens contra eam temerario ausu venire temptaverit potestatis honorisque sui dignitate careat reumque se divino iudicio existere de per-
petrata iniquitate cognoscat. Et nisi ea que ab illo sunt male ablata restituerit vel digna penitentia illicite acta defleverit a sacratissimo corpore ac san-
guine domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat atque in eterno examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax
domini nostri Iesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant.

Datum per manus Petri cancellarii atque cardinalis. Anno dominice incarnationis millesimo septuagesimo octavo. Pontificatus vero domni Gregorii pape VII. V. VI. idus martii. Indictione I.

Morbio 8 (9)

4~~XX~~ MLXXVIII lettere pontificie

Morbio 8 (9)

Copia [illegible]
[illegible]

[illegible] Gregor[illegible]
p mon̄ [illegible] inpedit[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] aliq[illegible]
[illegible] magna [illegible]
[illegible]

1078

Gregorij vij.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1764059077-16/fragment/page=2
DFG